

M. ROßDOLPHO GOELENIO PHI-
LOSOPHICO PROFESSORI
Academiæ Marpurgensis.

M. ZACHARIAS PALTHERIVS
Typographus Francofurtensis

αὐτὸς ἔγραψεν.

DUam præterfluxere menses, Vir clarissime,
Pæceptor in primis obseruande, ex quo Ioannes
Posselius, Græcæ Linguæ in alma Rostochiana
Academia Professor, Parentis sui p. m. Apoph-
thegmata Græcolatina, per Petrum Lindebergium Poetâ
Laureatum, ad me destinauit, illorumq; publicatione meę
fidei & industrię *ὡς ἐπιμελήσεια καὶ ἀκεραιότητι* commisit. Ac-
cidit id quidem mihi, præsertim a tantæ existimationis &
eruditionis viro, cum propter parentem eius, qui in Græca
Lingua ab interitu vindicanda, *εἰ καὶ ἡς ἀλλοποικαὶς αὐτῶν
νύκτες ἰουσκαι*, longum laborauit, multum sudauit, tum ppter
singularem amorem, quo ab incunte ætate erga Græcę lin-
guę studium, *ὡς ἐμφυτῶν μῆτι*, & addiscendum & promouendū,
acriter inflammatus sum, tam gratum q̄ gratissimum. Et si
autem ex inspectione aliquot paginarum, tanquam ex va-
gue leonem, quod dici solet, intelligere videar, hunc labo-
rem, si publici iuris fiat, magna cum studiosorum utilita-
te, (vt de liberali animi recreatione nihil dicam) coniun-
ctum esse: tamen quia non soleo ex me ipso pendere, sed
aliorum etiam censuras libenter audire, præsertim eorum,
qui iudicio sunt limatiore & acriore, hoc meum institut-
um tibi significandum duxi, vehementer etiam atque
etiam petens, vt mecum hac in re tuum consilium matu-
rius communices. Si ita videbitur, operas vrgebo, ac editi-
onem maturabo, vt ad proximas nundinas in luce appa-
reat, & in hoc veluti monumento Posselius noster quasi
reuiuifcat. Ego te, vt spero, propediem videbo, atque vti-
nam republ. vestra literaria meliore, quam audio. Data

Francofurti e meo *τυπογραφεῖω* in festo D.

Bartholomæi. Anno

1 5 9 5.

) (3

M. RODOLPHI GOELENII PRO-
fessoris Philosophici,

Responsio ad Epistolam Palthenii.



ANTA, ornatissime Domine Paltheni, in Græcorum auctorum monumentis sapientia recondita est, vt latinorum philosophiam fere omnem exiis manasse arbitreris. Flosculos & delicias orationis tuæ quæris? Græcorum horti suppediabant. Sale eam quodā perspergere, & quasi condire, non quidē Momi illo, sed Mercurii cupis? Græcorum penu sufficiet. Iuante oris pulcre compositi ingeniosa rotunditas? Eam Græcæ Musæ ac Veneres affatim dabunt. Sed quid ego hæc ad te, cui non possunt non esse notissima, quippe qui sis in Græcorū lectione ita versatus, vt lingua eorū tibi sit familiarissima? Tantum quæ scis per te ipse, ad eorum nunc cogitationē, & velut ruminationem, te deducere volo, vt pulcherrima illa Apophthegmata (hoc est, illustrium virorum breuiter fere, sed argute, acute, festiueque dicta) a clarissimo Posselio collecta, e tuo *ὑποπορροφείῳ* alio peruenire ne patiare: quod existimem *φιλολόγησις*, omninoque politioris literaturæ, & Ethicæ studiosis, non parum ea profutura, & tibi quoque (si nostra externa etiam vtilitate metiri licet) non infructuosa fore. In hoc meo iudicio si, quod facis, acquieueris, abiecta omni cunctatione, & vt Græci loquuntur, *μηδὲν αἰατὰ ἀδιδου* editionem adornabis, & magnam a plurimis nostrorum hominum gratiam inibis, ac (vt Ouidiano illo vtat) laudem a sera posteritate feres, cui optimus quisque maxime seruit, sicut iudicat Cicero. Video me quoque ex illis Apophthegmatis ad corpus orationis, si quādo publice mihi dicendum est, augendum, illustrandum, ornandum denique, aliquid opis & adiumenti petere posse. Itaque impressorum exemplum a te vehemēter exspecto. Nihil mihi ita placet, atque oratio neruosa, & argumētosa, quæ optimis sententiis veluti stellulis quibusdam interlucet. Bene vale. Data *παραρρηξίφως* inter fluctus perturbationū, quos filiola mea Catharina vnice mihi cara dysenterico morbo extincta (qui & Professore Græcæ linguæ Christophorum Cramerum nobis sustulit) mirum in modum auget.

Marpurgi vltimo August. Anno 95.

IOAN-